

Ill/mo ac R/mo D. Cardinali Bellarminio S.

1658

Dum versor in ocio post naufragium Politianum, multa legi, quaedam scripsi, et plurima notavi pro immunitate seu libertate Ecclesiastica contra tyrannos et oppressores ipsius. Titulus in fronte  
5 appositus, Vindiciae secundum ecclesiasticam libertatem, ut statim appareat me non proferre in medium nova dogmata, vel rationes a me excogitatas, sed conari priscam libertatem ostendere, clero vel a piis Imperatoribus sponte concessam, vel in Conciliis Generalibus communi Principum laicorum consensu stabilitam. Communicavi jam diu  
10 cum ministris Sancti Officii hoc meum consilium, et ab ipsis non applausum tantum, sed auxilium quoque reportavi. Liberam enim facultatem mihi tanquam Canonistae ac Theologo concesserunt legendi etiam Haeresiarcharum quaedam opera, dummodo iis quae viderentur expungenda vel purganda, manum medicam adhiberem, et notata in libellum memorialem transcriberem. Ordine praescripto navigavi hactenus, et, nisi me fallit proprius amor, universali Ecclesiae non prorsus inutilis  
Sed in medio cursu fere cymbam impegi. Ex novis enim Inquisitoribus omnino adempta est hujusmodi facultas; unde nec progredi tuta conscientia licet; regredi vero inaniter molestissimum animo  
20 meo se offert. Si non peto rem injustam, oro atque obtestor Ill/mum ac R/mum Dominum meum Bellarminium, ne me in hoc pelagago inter Syrtis ac Sirenas deserat. A Syrtibus confido me evasurum, quia mortem potius eligo quam foedare conscientiam. Sed Sirenum cantus, quo pro Ecclesia et legens et scribens mirifice illectus fui, sua privatione  
25 ne mentem non mediocriter angit. Notavi utique multa, nec mihi religioni verto legere ac repetere. Sed, ut scit Dominus meus, in referendis alterius dictis oportet proprios locos examussim proferre. Studeo potius profanis legibus et historiis quam sacris Constitutionibus vel argumentis seu syllogismis convincere. Et, quas adduco doctrinas  
30 trinas jurisconsultorum, quaero, quoad fieri potest, esse communis calculo approbatas, et eorum qui pro fisco judicarunt vel consulue-

(runt, ut catholicis infensi, tanquam sorices, suo se iudicio prodentes, confundantur et pereant. Difficile certe opus. Sed, Christo duce et auspice Christo, nil desperandum. Confuto quoque ex iis qui, professi humaniores litteras, certatim Summos Pontifices atque ecclesiasticos et colloquiis, et jocis, et salibus, et facetiis, et fabulis (ut ipsi suos libellos inscribunt) deridendo contemnunt. In his tamen non multa cura vel labor impenditur. Sufficit, constet huiusmodi velut blasphemis sive scurris nullam fidem esse adhibendam.

Videt igitur Ill/mus Dominus meus, quò se extendat mea necessitas. Ex professoribus politiorum literarum vel historiarum scriptoribus nollem ullius lectionem mihi inhiberi. Ex aliis seligo eos tantum qui auctoritatem ac majestatem Sanctissimi Domini Nostri minuere haeresum machinis tentant, vel immunitati ac libertati ecclesiasticae cavillis obsepunt. Caeteros de Deo ac fide male sentientes, et, vel antiquas haereses innovantes, vel nova dogmata falso introducentes, quoniam ad hunc meum laborem non pertinent, legere non peto nec volo. Si voti compos ero, Ill/mi ac R/mi Domini mei benignitati acceptum referam. Si patronis aliter visum fuerit, Deo gratias agam, utque humillimus Sanctae Sedis Apostolicae servus ministro nutui promptissime obtemperabo. Claudio epistolam, precans a coelesti largitore proximum annum foelicem, faustumque et ad multa lustra mentem sanam in corpore sano. Florentia Kal. Januarii 1616.

Ill/mae ac R/mae Dominationi Vestrae

Servus addictissimus

Angelus Monosinius